DE ASYLIS DISSERTATIO, QUAM DEI & SUPERIORUM GRATIA P.P. M. JOH. PHILIPPUS OHEIM, ...

Johann Philipp Oheim, Christian Fleischer, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

V366.

Omnia JESUS!

Caput Primum.

ASylum unde dictum. Aſylus. Aſyli. Aſylia. Confugium. Confuga. Hebræis quomodo & Germanis dicatur. Βωμὸς ἐλέυ. πονηρόπολις. Ἀνθ᾽ ἑρμιονος. Immunitas. Jus ſecuritatis. Ad ſtatuas confugere. Irminſula. Diſtinctiones.

ASylum, Græca vox, ἀπὸ τῦ α ςερητικῦ καὶ σύρω *trabo*, [quod inde profugas extrahere non licet] ſeu potius ab α καὶ σύλη. *Spolium* (q. d. inſpoliatum, à ſpolio immune) civitate quoque Latinâ donata eſt. Adjectivum ἄσυλος *Aſylus*, *inviolabilis* redditur. Hinc homines *Aſyli*, quos lædere nefas, & *Aſylia*, jus illud, ſeu privilegium, quô aliquid ab omni prædâ tutũ eſt. Latini interdum per *refugium*, *perfugiũ* ſeu *confugium* efferunt. Hinc α *Theodoſius* & *Valentinianus Impp.* perfugam & confugam eum dixerunt, qui ad Aſylum confugit. *Hebræis eſt* מקלט & עיר מקלט refugium, Civitas refugii. Nobis dicitur eine Freyſtadt/ eine Freyheit! quanquam utrumqve interdum latius ſumatur. Varia *Aſyli* reperiuntur ſynonyma. Interdum idem eſt βωμὸς ἐλέυ, *ara miſericordiæ*, πονηρόπολις, ſicut Aſylum iſtud juxta Thraciã poſitum dicebatur, in quod *Philippus*, *velut in ſentinam*, *infames*, *moribus improbatis*, *ſycophantas*, *falſos teſtes*, *prævaricatores*, *& id genus alios ad numerum duûm millium collegiſſe* dicitur. β Habent Græci etiam proverbium Ἀνθ᾽ ἑρμίονος, γ qvod idem eſt quam *loco Aſyli*, ſcilicet ſum, ab *Hermione*, *templo in Peloponneſo Cereri & Proſerpinæ ſacro*, quod Aſylum fuit. Apud *JCtos* jus hoc communiter *immunitas & jus immunitatis*, *jus ſecuritatis* audit. Statuæ interdum idem etiam ſunt, quod Aſyla, & *ad ſtatuam confugere*, idem eſt ac *ad Aſylum* confugere δ. Sunt quoque qui *Irminſulam*, Saxonum antiquorum iſtud idolum, qs.

α l. pateant 4 Cod. Theod. de his qui ad Eccleſ. conf.

β Theopompus rer. Philip. l. XIII.

γ Eraſm. in Adagiis.

δ l. un. Cod. Theod. de his qui ad ſtat. confug.

V368.

Jedermans-Seul / i. e. commune Aſylum dictum velint, & idem juris habuiſſe putent. Alii tamen id de *Martis*, alii de *Arminii* ſeu *Heermanni* ſtatuâ exponunt, inter quos præcipui *Voſſius*, [ε] *Meibomius* [ζ], *Schedius* [η], alii aliter. Notiſſima autem eſt *metaphorica vocis* Aſyli acceptio, quâ omne id ad quod difficultatibus preſſi confugimus, Aſylum appellamus. Sic *Deus T. O. M.* Aſylum noſtrum hinc inde, in Sacris literis præcipuè, dicitur: Sic *Patronos* Aſyla noſtra vocamus: & JCtis *Papinianus* hoc ſenſu etiam juris Aſylum eſt. Nos vocem Aſyli hîc ſtrictè accipimus, & dicimus *refugium privilegio ab omni violentiá tutum.* Quidam Aſylum per *locum ſacrum* deſcribunt: Alii per *templum, ſeu quemcunque locum inviolabilem, ſeu conſecrationis lege tutum:* Alii aliter. Nos, qui non ſolùm templis & locis conſecratis, ſed etiam ſtatuis quibusdam & perſonis id juris competere videmus generaliori voce *refugium* dicimus. Addidimus differentiam: *privilegio ab omni violentia tutum:* per hoc enim ab aliis refugiis diſtinguuntur Aſyla, quòd lege tuta ſint, & ab omni vi & violentiâ immunia. Notanter dicimus, *lege tutum*, quô *cauſam* ſimul *efficientem* notamus. Aſyla enim conſtituere, non niſi majeſtatis eſt, quæ leges ferre & privilegia tribuere poteſt. Diſtinguimus ea cum JCtis in *realia* & *perſonalia*. Illa non tantùm loca ſacra & templa; ſed ſtatuas etiam, aras & ſimilia comprehendunt: Hæc perſonas. Diſtinguuntur etiam Aſyla in *divina*, quæ divino ſpeciali mandato inſtituta ſunt, & *humana*, quæ humano. Porrò in *ſervorum* quæ ſervis, Liberorum, qvæ ingenuis tantum, & *communia*, qvæ utriq; ſimul patebant: Tandem in *Pagana*, quæ ethnicos auctores, & *Chriſtiana*, qvæ Chriſtianos agnoſcunt. Exempla ſingulorum habet

[ε] *l. II. de Idololat. c 32.*
[ζ] *Specul. ir. c. 5*
[η] *De DIS Germ. Syntag. 3, c. 3.*

Caput Secundum.

Quis Aſylorum auctor? Aſylorum Judaicorum ſingularia ex Rabinis. Cognatus ab Hoſpiniano refutatus. Aſylorum autores: Cadmus. Herculis Nepotes. Romulus & Remus. Horum Aſylum lucus an templum? Ara Aſyla Comedia. Ara velata Apprehenſa. Occupata. Aſyla Templa. Idolorum. Imperatorum.

Ca-

Cadavera. Sepulcra. Statuæ. Nummi. Signa militaria Gentes. Perſonæ. Quibus ad Aſyla fugere conceſſum? Servi. Obæratus. Maleficus. Chriſtianorum templa Aſyla. Quando cœpta? Baptiſterium. Oppida. Lugdunenſe. Scaligeri. Aſyla. Aſylorum termini.

Quis prior poſteriore Aſyla inſtituerit, vix ſatis certò affirmari poteſt. Antiquiora *Iſraëliticis* *a* iſtis in universá hiſtoriâ reperire vix licebit. Notavit de iis ſingularia quædam è *Rabinorum* gloſſis *Paulus Fagius*, quæ etiam nonnulli, qvi in Pentateuchum & Joſuam commentati ſunt, exſcripſerunt. Præcipua breviter ſunt: Urbes iſtæ *æquali ſpatio inter ſe ſitæ erant. Via* ad illas ducentes, ne obſtaculo fugienti aliqvid eſſet, *erant complanata: In bivio aut trivio ſtipes erat erectus cum inſcriptione* מקלט viam fugientibus monſtrans. Cautum erat, ne civitates iſtæ vel *nimiâ frequentiâ in immenſum creſcerent*, & ſic גואל הדם *vindex ſanguinis, inobſervatus intraret*; vel *nimis infrequentes factæ* victui neceſſaria non ſuppeditarent. Poſitæ erant in *loco irriguo, ubi crebriores nundinæ, multi in viciniâ pagi*, ut ſi vindex ſanguinis vi aliquid tentaret, vi reprimi poſſet. *Cives* ſi deerant, *Sacerdotes ac Levitæ accerſebantur. Non licebat ibi arma bellica aut venatoria, aut tale quid facere*, ne vindex ſub ſpecie emtionis intraret. Confugæ *artificium parabatur*, unde vivere poterat. Homicida, ſi תלמיד *ſtudioſus* ſeu *diſcipulus* erat, רבו *Præceptorem* ſimul exulare oportebat: ſi *Præceptor*, integra ſchola ſimul transferebatur. לגלה fugienti adhibebantur duo aut tres תלמידי חכמים *viri ſapientes*, qui vindicem, ſi fortè occurreret, blandis verbis detinebant, ne quid violentius, causâ nondum cognitâ, auderet. Nullus ſive בגב *voluntariè occiderat*, ſive מזיד *caſu*, impediebatur in viâ. Confuga non tantum in urbe, ſed & *intera terminum*, quem תחום appellant, tutus erat. De ipſo homicidio בית דין *conſiſtorium loci illius, ubi perpetratum erat, cognoſcebat*, ad quod reus ex Aſylo deducebatur, & pro ſententiâ illius vel morte plectebatur, vel conductu publicô ad Aſylum reducebatur. Quia autem confugis remanendum erat, donec כהן הגדול ſummus Pontifex moreretur, mater hujus exſulibus munera mittebat, ut mortem Pontificis minus ardenter

a Nũ. XXXV Deut. V. XIX. Joſ. XX.

 opta-

V37v.

optarent, vel precibus etiam expeterent. Cætera ex Sacris nota ſunt. *Hoſpinianus* β porro *Gilbertum* γ *Cognatum* affert, qui ait *Nimrothum, Gigantem Babylonicum, filio ſuo primigenito amiſſo, ad lenimen ſui deſideri ſtatuam auream & in templo & in palatio erexiſſe, eamque tanquam Deum coluiſſe, & ad eam confugientes homicidas, latrones & capitalis ſupplicii reos venia codicillari donâſſe:* ſed vereor ut autor hic cum fundamento hæc dixerit. *Profani Scriptores* δ in eâ ferè ſunt ſententiâ, *Cadmum*, dum Thebas conderet, primum Aſylum aperuiſſe, ad qvod fugientes ſine diſcrimine ſ. ſervi, ſive Liberi, ab omni pœnâ tuti eſſent. Quidam ε tamen *Herculis prognatos*, poſt ejus obitum, Aſylum Athenis primos inſtituiſſe ajunt, ut ſcilicet haberent, ubi vindictam eorum, quos Avus vexerat, evaderent. *Roma* cum initiis urbis Aſylorum qvoqve jus inchoavit: ζ *Romulus* enim & *Remus*, qvum urbem ſuam conderent, Aſylum aperiebant; ut ſic ſpe impunitatis quosvis homines allicerent, & urbem civibus implerent *An lucus hoc, an verò templum fuerit?* ambiguum ab Autoribus reddi videtur. Fortaſsè utrumqve dici poteſt, quippe qvum templa in lucis eſſe gentilibus non novum ſit, ſive, ut *Rittershuſius* η exiſtimat, Aſylum iſtud ob paupertatẽ gentis primò lucum fuiſſe dicendum, poſtea autẽ auctis non nihil Romanorũ divitiis in templum commutatum. Talia Aſyla multa fuerunt, ut non procul *Trœzene* in Inſulâ nomine *Calauria*, *Neptuno* dicatum: θ In *Ægypto* ad *Canopicum* Nili oſtium, *Herculi* conſecratum, quod ad ſuam usqve ætatem *Herodotus* ι perſeveraſſe ait. In genere autem & communiter *Aræ* Aſyla erant, ut Athenis *Ara miſericordiæ* qvam, ut Statius ait,

—— *Herculeos fama eſt fundaſſe nepotes.*

Hanc Aram *Beyerlinck Jeſuita* κ nulli Deorum conſecratam, & eandem fuiſſe vult, cum eâ, quam *Apoſtolus* λ citat, *ignoti* ſcilicet *DEI*. Quo autem fundamento id afferat, non addit, an ullum habuerit? ambigo. *Barthius* μ eandem *Clementiæ* qvoqve Aram appellat, & talem Romam etiam habuiſſe *Tacitus* ν refert. *Commœdiæ Ara* etiam Aſylum apud Romanos erat, qvæ in ſcenâ fuiſſe dicitur, *Halieus* appellata, & ab iis, qui comœdiam ce-

β De Orig. Templ. l. 1. c. 12.
γ Narrat. l. IV.
δ Alex. ab Alex. Genial. dier. l. III c. 20.
ε Servius in II. & IIX. Æneid.
ζ Liv. l. I. Dionyſ. l. II. Plut. in Romul. Virg. VIII. Æneid Ovid. Faſt. II
η tr. de jure Aſyl. c. 5.
θ Strab. l. VIII. Geogr.
ι in Euterp.
κ In theatr. ſub tit. Aſyl.
λ Act. XVIII v. 23.
μ in Comment. ad Claud. p. m. 421.
ν l. IV. Annal. c. 74.

ſebrabant, in honorem Apollinis conſtituta. Dicit ξ *Cælius* ξ *Rhodig.*
hunc Apollinem à Menandro *Caſium* dici, & eſſe quosdam, qui *Antiq. lect.*
ſcribant in ſcenâ duas Aras poni ſolitas, dextram Libero, ſini- *l.VI.c.17.*
ſtram illi Deo, cui ludi celebrabantur. Habuerunt id fortaſsè o *II. Reg. II,*
gentiles, ut multa alia, ex *Sacris*, o ubi itidem ara à quibusdam *28.*
occupata in diſcrimine vitæ legitur. Notat prçterea *Heraldus*, π *III Reg. I. 50*
Aras à confugis *velatas eſſe*, ut eas hâc ratione magis ſanctas & in- π *Ad Arnob.*
violatas efficerent. *Apprehenſas* easdem à ſupplicibus *p.m. 212. 213.*
& confugis, perinde atqve à jurantibus, res eſt notiſſima. *Inſe-* ρ *Moſtel. Act.*
diſſe etiam confugas aras ex *Plauto* ρ liqvet, ubi ſervus: *Ego in-* *V. ſ. 1.*
terim hanc Aram occupabo, & ex *Cornelio Nepote*, σ qvi de *Argi-* σ *in Pauſan.*
lio habet, quod Aram in fano *Neptuni* Tænari inſederit. *Templa*
Aſyla omnia fortaſſe vel pleraqve certè fuerunt: Clara tamen
præ cæteris ſunt apud Græcos *Diana Epheſiæ*, de quo *Strabo* τ mul- τ *l.* XIV.
ta: *Chalciæcum Minervæ* templum Spartæ: In *Tænaro Neptuni:*
In *Calauriâ* ejusdem, ad quod *Demoſthenes* confugit. In *Aphro-* υ *Alex ab*
diſio & Papho Veneris; in *Conopo Herculis*, & innumera alia. υ *Alex. l. c.*
A Gręcis *ad Romanos* hoc ipſum abiiſſe, nemo fortè eſt qui ne-
gaverit. φ *Barthius prima Romanorum templa Aſyla fuiſſe*, pro- φ *l. IV. Ad-*
nunciare non dubitat. Poſtquam autem, auctâ çum annis ſu- *verſ. c.12.*
perſtitione, non *tantum idolis* ſuis, ſed etiam *Principibus*, imò et- χ *Tacit. l IV*
iam *urbi Romæ* χ templa ponerentur, Aſyli quoqve jus templis *annal. c.37.*
iſtis tribuerunt. Forſan mos iſte initium cœpit à tempore ψ *Dio l.*
Julii Cæſaris, ψ cui Triumviri templum exſtruxere, cum hoc ju- XLVII.
re, ut perfugium in eo cunctis eſſet. Qvin *cadavera* qvoqve ω *l. LVI.*
& *ſepulcra Principum* interdum Aſyla erant, uti de cadavere
Octaviani *Dio* ω habet, & de *Ajacis* ſepulcro in *Rhetæo*, & *Achillis* α *l. c.*
in Sigæo Alexander α habet, *Xiphilinus* β refert, qvod Lepidus β *In Auguſt.*
& M. Antonius Triumviri, *poſtquam plus ſatis in eos, qui Julii*
mortis conſcii fuerant, ſævitſſent, & totam ferè urbem interfectorum
ſanguine maculaſſent, ſepulcrum demum Cæſari in foro conſtruxe-
rint, ubi ejus cadaver combuſtum fuerat, eosque qui ad ipſum confu-
gerent, tutos & inviolatos eſſe voluerint. Sic *Adamus Olearius* γ γ *Itin. Perſ.*
qvoqve de *Perſarum Rege Abas Myrſa* refert, qvod, poſtqvam fi- *part. II.*
lium *Sefi* necandum curaſſet, pœnitentiâ facinoris ductus, locum,

ubi

ubi perpetratum erat, muro circumdederit, Aſylumqve fecerit. *Statua* etiam *Imperatorum* præcipuè ab Auguſti temporibus Aſyla fuerunt, etiam apud exteros. Apud *Aſpenaios Tiberii ſtatuam*
δ in vitâ A- *& Aſylum* fuiſſe *Philoſtratus* δ narrat, ſanctius ipſis & vene-
poll. l. I. rabilius, qvàm Jovis Olympii ſimulacrum. Addit etiam idipſum de *nummis Imperatorum imagines habentibus*. quòd quidam, qvi ſervum ſuum, *drachmam argenteam Tiberii* imagine ſignatam geſtantem, verberaſſet, impietatis damnatus fuerit. In eodem ferè pretiô illud *teſtimonium Sijaretname*
ε Itin. Perſ. dictum, qvod *Olearius* ε notat, apud Perſarus eſt, quod illi,
p. II. qui *Schich Sefi* ſepulcrum viſitant, accipere ſolent. *Plancum*
ζ Annal. l. I. etiam *ſigna militaria* & *aquilam* amplexum, & hac religione ſe
c. 39. tututam eſſe, *Tacitus* ζ habet Sic *Marcellinus* κ fraudum conſcios
κ l. XXV. ad militaria ſigna confugiſſe ait. *Integras quoque gentes* pro
ι l. VI. c. 13. Aſylis cultas fuiſſe hiſtoriæ habent. *Plinius* ι *de Arimphæis* Scythiæ vicinis narrat, *quod ſedes ipſorum nemora, alimenta baccæ, capilla viris pariter ac fœminis in probro, ritus clementes, ipſi Aſyla ſacri & inviolati habeantur, etiam feris accolarum populis, nec ipſos modò, ſed omnes etiam qui ad illos confugerint, ab omni vi tutos eſſe.*
κ l. I. dec. I. *Thyſſagetis Lituaniæ finitimis* eosdem qvoqve mores & jus *Bon-*
λ Plut. in *finius* κ tribuit. *Perſonæ* qvoqve qvædam in ſpecie hoc jure uſi
Num. ſunt. *Numæ* inſtituto, *Veſtales*, ſi damnatis caſu qvædam occur-
μ Noct. At- riſſet, Aſyla erant, ſupplicioqve deſtinatos diſcrimini eripie-
tic. l. X. c. 15. bant. λ De *Flamine Diali Gellius* μ habet, qvod eos, qvi ad verberandum ducebantur, ſi ad pedes ejus ſupplices procubuerint,
ν in Problem eo die verberari piaculum ſit. Idem de *Sacerdote Jovis* refert *Plutarchus*, ν qvod pręforibus templi ſtare ſoleat, &, ſi qvi veniant, ſeqve pedibus ejus advolvant, immunes fiant, &, ſi vincti ſint, illicò ſolvantur. Hunc morem, ut multa & pleraq; gentilium, ſuum qvoq; fecerunt *purpurati Romanæ curiæ fratres*, qvos
ξ l. I. de Re- *Cardinales* vocant, idq; hactenus ſibi eosdem vendicare præter a-
publ. c. 10. lios *Bodinus* ξ notat. Addit tamen *Bremenſium* cautelam, qvi, qvum *Cardinalis Raymundus* Anno 1503. civitatem ipſorum intraret, & exules qvosdam reduceret, illisqve veniam delictorum impetraret, *ne id juribus civitatis ſuæ fraudi ſit*, oppidò proſpexerunt. Idololatrica Papicolarum ſuperſtitio ad eandem Aſyli (perſo-

nalis

nalis ſcilicet) ſpeciem qvoqve refert *panem*, qvem circumgeſtant, *Eucbariſticum*, ſed qvàm benè, Theologorum eſto judicium. Eſt, qvoqve qvi huc afferat perſonas inviolabiles, qvales jure gentium ſunt *Legati*, *caduceatores*, apud Romanos Tribuni & Ædiles, ſed vix ſatis benè: Qvum enim hîc non de Aſylis adjectivè ſic dictis, ſive de perſonis qvæ in ſe violabiles ſunt, ſermo ſit, ſed de ſubſtantivè acceptis, qvæ aliis ſcilicet immunitatem præſtant, agatur, non videmus, quomodo in cenſum horum iſta perveniant.

Perſonæ, qvæ ad Aſyla confugere ſolebant, præcipuè ſervi erant, adeò, ut qvædam Aſyla ab ipſis denominata fuerint, & in ipſorum gratiam imprimis aperta videantur, ut habuerint, ubi dominorũ ſævitiam effugere potuerint. Tale Aſylũ in *Libya* erat civitas, *δύλων πόλις* dicta, in qvam ſi ſervus lapidem portaſſet, liber abibat, etiamſi peregrinus; & altera *ἱεροδύλων*, in qvâ unum tantum liberum vivere fas erat. In Cretâ *δυλόπολιν χιλίανδρον* fuiſſe *Soſicrates* o notat. Imò omnes *Aras* ſervis Aſyla fuiſſe, locus *Euripidis* ſvadere videtur: π

ἔχει γὰρ καταφυγὴν θὴρ μὲν πέτραν
δῦλοι δὲ βωμὸς θεῶν

o *Narrat. rer. Oret. 1.*
π *In ſupplicibus.*

De *ſtatuis* res itidem clara eſt. An autem ſolis his ſtatuæ Aſyla fuerint, ut non nemo putat, meritò dubitamus: ſiqvidem de *Antonio Juvene* conſtat, qvod ad D. *Julii* ſimulacrum confugerit. ρ *Obærati* poſtea & *debitores* ad Aſyla confugiebant. Sic *Plutarchus*: σ *ἡ μὲν γὰρ Ἄρτεμις ἡ ἐν Ἐφέσῳ τοῖς χρεώςαις, ὅταν καταφύγωσιν εἰς τὸ ἱερὸν αὐτῆς, ἀσυλίαν παρέχει, καὶ ἄδειαν ἀπὸ τῶν δανείων.* De maleficis qvibusvis exempla plurima ſunt. Idem *Plutarchus* τ ait: *ἔςι δὲ δύλῳ φεύξιμος βωμὸς, ἔςι καὶ λῃςαῖς ἄβεβηλα πολλὰ τῶν ἱερῶν· καὶ πολεμίους φεύγοντες, ἂν ἀγάλματος λάβωνται ἢ ναῦ, θαῤῥοῦσιν.* *Chriſtiani* hunc qvoqve morem ſecuti *templa* & *ſacraria* ſua Aſyla fecerunt. *Hoſpinianus* υ *Sigebertum*, *Marianum Scotum* & *Cranzium* refutat, qui *Bonifacium Papam* primum hoc jus Anno 623. in Eccleſiam introduxiſſe volunt, & affert ex *Genebrardo* & *Petro de Natalibus*, *Conſtantini* M. tempore etiam decretum fuiſſe, *ut, ſi quis mortis reus ad*

ρ *Suet. in Aug. c. 17.*
τ *περὶ δεισιδαιμονίας.*
υ *l. c.*

Eccleſiam confugeret, judicium mortis evadat. Adducit etiam hiſtoriam ex *Nazianzeni* oratione, qvam in funere *Baſilii* habuit, de præfecto Valentis Imperatoris, ex qvâ liqvet, eo etiam tempore Eccleſiam hoc jure uſam. Auxerunt poſtmodum *Imperatores* hanc immunitatem, uti videre eſt ex conſtitutione *Theodoſii & Valentiniani Impp. ad Antiochum Præfectum Prætorii*, φ adeò ut *ad monaſteria* etiam, *Epiſcoporum domos & hoſpitalia* deducta ſit. Atqve hanc Eccleſiæ immunitatem adeò ſanctam ſibi ſervarunt Chriſtiani, ut barbaris etiam & non Chriſtianis ad loca ſacra & Apoſtolorum baſilicas confugiſſe profuerit, uti *Grotius* χ ex Zoſimo ψ notat. Habet ibidem etiam ex *Auguſtino*. ω *Caſſiodoro* & aliis de *Gothis* ſub Alarico Romam occupantibus, qvod iis, qui ad Eccleſiam confugerant, parſerint. De *baptiſtero* Aſylo exemplum habet *Evagrius*, α qvi *Proterium Alexandrinorum* Epiſcopum necem ibidem effugiſſe teſtatur. De *oppidis* Chriſtianorum Impp. inſtitutô Aſylis multa poſſent afferri. *Henricus Imperator Barbaroſſa Briſacum* in pauperum refugium ædificaſſe ab *Othone* β dicitur. *Henricus quoque Auceps Haſiganos*, furum, latronum, capitisqve damnatorum manipulos, ſpe melioris vitæ militiæ ſacramento obſtrictos in ſuburbia civitatis Mersburgenſis, criminum abolatione factâ, recepit, & armis agrisqve donavit, ut adverſus hoſtem excubarent. γ Hunc Impp. morem *Reges* qvoqve ſecuti, Aſyla ſuis aperuerunt, ut de *Anglico Rege* ex *Polydoro* δ videre eſt, de aliis alibi. Egregia ſunt, quæ *Gœlnizius* habet de Lugdunenſi Aſylo in Galliâ, cujus ſaltem portarum lemmata ex ipſo notamus:

PIETAS FELICIS ANIMI STATUS FONS ET SEDES. CUM HUC PERVENERIS FINIS EST. Aliud: ADHÆRERE DEO BONUM EST. Aliud ubi tria cadaverum capita muro impoſita:

QVOD ADEST MEMENTO
COMPONERE ÆQVUS.

Aliud: VINDEX ET ASSERTOR TVI
AVDE ESSE FELIX.

Aliud

φ *l. pateant 4. Cod Theod. de his qui ad Eccleſias conf.*
χ *d. J. B. & P. l. III. c. 12 §. 6.*
ψ *l IV. d Tomitan. barb.*
ω *d. C D. l. 1.*
α *l. II. c. 8.*
β *Friſingenſ. l. VII. c. ult.*
γ *Chron. Querf.*
δ *Virg. l.* XXVI.
ε *Itin Belgico-Gal. p. m. 356.*

Aliud ſupra portam, cui columna qvadriformis impoſita:

HAC ITVR AD SECVRITATEM.

Idem Autor ζ *Viennæ*, urbe Galliæ, Aſylum oſtendi ait, è lapide ſtructum qvadra forma, columnis qvatuor, in qvibus vexilla & inſignia Gubernatoris ſuſpenſa ſint. Iterum aliud ad *urbem Maſſiliam* κ in Galliâ Caſtellum, cui nomen *d' If*, ad qvod homicidæ confugientes liberi ſint ab apprehenſione judicis urbani. *König* θ de *Scaligero* ſic loqvitur: Scaliger qvum in ampliſſimâ fortunâ viveret, ut inter Italos Principes ſingularis penè eſſet, tria habuit palatia, qvæ erant aureis literis inſcripta: BONÆ SPEI PRO PRINCIPIBVS. Si apud Pontifices in offenſam Cardinales veniſſent, Aſylum & adumbraculū habebant, quod appellabatur PARADISVS. Pro literatis UMBRACVLVM MVSARVM. Plura exempla hîc notare, inſtituti ratio non permittit, vid. *Ritterſhuſius*. ι *Termini* Aſylorum variè conſtituti, & pro imperantium lubitu mutati ſunt. *Alexander Dianæ Epheſiæ terminos ad ſtadium extendit, Mithridates paulo plus addidit, M. Antonius etiam urbis partem comprehendit* κ *Synodus Toletana* λ 30. paſſus ab eccleſiæ januis in toto circuitu permiſit. *Nicolaus Papa* μ Majori Eccleſiæ 40. paſſuum circuitum, minoribus vero ſive capellis 30. dedit. *Johannes* ν 30 Eccleſiaſticorum paſſuum mentionem facit, capellas planè excludit.

ζ *Ib. p. m. 450.*
κ *Ib. p. m. 515*
θ *Part. I Politic. c 3.*
ι *dict. tr. c. 3.*
κ *Strabo l.* XIV.
λ *c. 35. 17. q. 4.*
μ *c. ſicut. 17. q. 4.*
ν *c. 21. d. c. & q.*

Caput Tertium.

Finis Aſylorum. Judaici. Romani. Civitates quid frequentes faciat? Jus Aſylorum tenaciter cultum. Pœna violatorum. Bruta quoque per Aſyla tuta. Ab Aſylis abrepti. Igne fugati. Sontes puniti. Aſylorum oſores. Eutropii caſus. Aſylorum abuſus. Abrogatio. An in benè conſtitutâ Republ. toleranda? Sententia affirmantium. Negantium. Limitatio.

Aſylorum Finis pro intentione auctorum alius atqve alius eſt. Judæorum Aſyla à Deo eam ob cauſam præcipuè videntur inſtituta, ut iis caveretur, ne vindictæ cupiditas interdum innocentes opprimeret, & ſanguinis innocentis effuſione ſanctus Dei po-

pulus pollueretur. Qvum enim cognato occiſi propriâ autoritate necem defuncti ulciſci, & homicidam rurſus interficere liceret, neceſſarium utiqve erat, Aſyla conſtituere, ſalvo tamen juſtitiæ examine. De Cadmi & Romuli Aſylis clarum eſt, ea hunc in finem ab iis eſſe aperta, ut civitates ſuas incolis implerent, & imperium ſibi hoc modo firmius & auguſtius redderent. Unde *Satyricus* α non ſine aceto in Romanos, qvi Majores ſuos longo ordine recenſebant, ſic:

α *Juven. Satyr. l. III. 8. in fin.*

Et tamen ut longè repetas, longeq; revolvas
nomen, ab infami gentem deducis Aſylo.
Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
aut Paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Eſt namqve mos iſte ſeu arcanum conſtituendarum urbium qvi hodieqve & ſuperioribus annis obſervatus eſt, ut propoſitâ immunitate, & præmiis etiam homines ad civitates incolendas alliciantur. Fecit id *Alexander M.*, *Alexandrinam urbem Ægypti* condens, eamqve ſic ampliſſimam & qvæſtuoſiſſimam reddidit. β Sic de Londino *Bodinus* γ habet, qvod non niſi ob conceſſam à Richardo Rege immunitatem, in tantam amplitudinem creverit. Pleni ſunt his exemplis omnes Hiſtoricorum libri. Qvidam eam ob cauſam Aſyla inſtituerunt, ut exercitus ſibi ſic colligerent, ut *Philippus Rex*, de qva ſuprà diximus. δ Herculis nepotes non tàm aliis, qvàm ſibi refugium & tutelam Aſyla fecerunt. Cætera Aſyla miſericordiam inſtitui feciſſe, vel ex eo patet, qvòd potisſimùm in ſervorum gratiam aperta videantur, qvippe qvi alio modo ſævitiam Dominorum, jus vitæ & necis in ipſos habentium, effugere non potuerunt, niſi in his, & per deprecatorem. Neſcio tamen an non illa validiora fuerint, cum deprecator utiqve vel verbis revelli, vel planè repudiari potuerit, qvod de Aſylis nefas. Atq; hanc Ethnicorũ religionẽ tam tenaciter olim cultã, ex eo liqvet qvòd *Athenienſes cives ſuos, qui tyrannidis affectatores ad Aram Minervæ confugientes occidiſſent, capite damnaverint, & privilegiatam ſuam ſuperſtitionẽ ſic pluris quàm libertatem ipſam æſtimârint.* ε Et dolendum non minus qvàm admirandum Diabolum tan-

β *Joſeph. l. III. B. J.*
γ *l. I. de Rep. c. 6.*
δ *c. 1.*
ε *Thul. l. I.*

tantam poteſtatem in miſeros habuiſſe, ut exempla eorum non deſint, qvi ob violata Idolorum Aſyla graves pœnas dederint. *Et quamvis ludibrium debeat ſubtiliſſimo Romanæ hiſtoriæ Scriptori Floro* ζ *Perſes Macedonum Rex ultimus, quod deſperatis rebus in Samothracem profugerit, fretus celebri religione, qs. templa, & Aræ poſſent defendere, quem nec montes ſui nec arma potuiſſent, liquet tamen pleroſq; veterum ſe ſuaq; religione locorum tutatos, quippe quorum violatio haut temerè cuiquam impunita fuiſſet.* Sic *Brennus ſeomet gladio apud Delphos transfixus.* η *Pyrrhusq; & Plemminius, violatores luci Locris Proſerpinæ ſacri, ſceleris haut dubias pœnas dedere,* θ verba ſunt Excellenſiſſimi noſtri *Franckenſteinii.* ι *Pauſanias* κ qvoqve de Jonibus refert, *quod ob violatam Neptuni Heliconii religionem, & Achæos ſupplices trucidatos juxta Dodonei Oraculi effata funditus everſi ſint.* Et de *Sylla Romano* idem λ refert, *quod pediculari morbo, quem phthiriaſin vocant, interierit, quod Ariſtionem Minervæ fano extractum trucidaſſet.* Quin ad *bruta etiam animalia* jus iſtud derivatum quandoqve legitur, ut *locus iſte odorum fragrantia celebris apud Ætnam, qui conſenſu tacito & nomine & cultu Aſyli ſacer erat, nefas putantibus incolis, animal ullum omninò lædi inibi aut violari.* μ Et *Herodotus* ν de Cumæorum templo refert, quòd, qvum Pactyas à Perſis ad illud confugiſſet, & Ariſtodicus illud circumiens, paſſeres aliasqve aviculas, qvæ fortè in templo iſtic nidulabantur, è nidis exemiſſet, vocem ex adyto auditam: *Hominum ſceleſtiſſimè, quænam libido te inceſſit, ut auderes meos ſupplices diripere?* Reperiuntur tamen etiam *confugæ ab aris avulſi, & ex Aſylis retracti, vel igne ab iſtis fugati.* *Turnebus* de Hermione apud *Euripidem* ξ notat, qvòd minetur ſe ignem aris admoturam, ad qvas Andromache confugerat. Et de *Antonio juvene*, de quo ſuprà dictum eſt, Svetonius notat, *quod à ſimulacro D. Julii abreptus atque interemtus ſit.* De *Pauſaniâ* patriæ proditori & ad ædem Palladis profugo *Diodorus* ο habet, qvod ex conſilio matris, lapide ad introitum ædis admoto, fame enectus ſit? *Interfecti* planè ad Aſyla ſunt plurimi, ſupplicii admodum ignominioſo, uti *Schildius* π ad Svetonium notat ex Floro ρ, de quo Lex qvoqve expreſſa in

ζ l. II. c. 12.
η Juſtin. l. XXIV. Val. Max. l. I. c. 1. n. 18.
θ Liv. l. XXIX. c. 8.
ι Diſſ. I. de Ærar. Rō. c. 1
κ Achaic. l. VII.
λ Attic. I.
μ Cæl. Rhodig. XXVI. c. 20.
ν In Clio.
ξ l. IX. c. 12.
ο l. I.
π 3. m. 122.
ρ l. II. c. 5.

Sacris extat, quæ ſontes ab Altari avellere jubet, & ſic praxi ob-
ſervatum, exemplum *Adoniæ* σ oſtendit. De *Eucherio* Stilichonis
filio, qui in Eccleſiæ Aſylum Romæ confugiebat, nihilominus
tamen ad Honorii literas interficiebatur, *Philoſt.* τ habet. De
Stilichone ipſo, Ravennæ in Eccleſiam profugo, dolo abducto,
&ad literas pariter imperatorias capite truncato, *Zoſimus* υ re-
fert. Imò ſingulares Aſylorum oſores *Rittersbuſius* φ notat,
Timonem pręcipuè illum ſive Miſanthropum apud *Lucianum* χ
Samoſatenſem, qui dixit: φίλος, ἢ ξένος, ἢ ἑταῖρος, ἢ ἐλέου βω-
μὸς, ὕθλος πολύς. *Socrates* ψ Eutropium quendam notat, Eu-
nuchum, qui Eccleſiæ immunitatibus admodum infenſus erat,
adeò ut ab Arcadio & Honorio Impp. legem impetraret, quâ Aſy-
la ipſis adimebatur, qui tamen ipſe iram Imperatoris fugiens,
hoc jure poſtea ſe immunem fore neqvicqvam ſperabat. Scri-
pſit in hunc integrum ſermonem *Chryſoſtomus*. ω Atqve ne-
gandum non eſt, olim jam de Aſylorum abuſu conqveſtos eſſe
plurimos, imò Imperatores ipſos, ob nimium peccandi licen-
tiam, Aſyla abrogâſſe. De *Auguſto Suetonius* & *Dio* α habent, qvòd
Aſyla qvædam ſuſtulerit, ne propoſita immunitatis ſpes occaſio-
nem perpetrãdi facinora daret. De *Tiberio* Tacitus β refert qvòd,
qvum *licentia & impunitas Aſyla per Græcas urbes ſtatuendi creſce-
ret, templa peſſimis ſervitiorum complerentur, obærati adverſum
creditores ſuſpectiq; capitalium criminum receptarentur, nec ullum
ſatis validum Imperiũ ſeditiones populi, flagitia hominũ, ut ceremo-
nias Deum protegentis, coërcendi* γ eſſet, cognitâ cauſâ Aſyla qvæ-
dam aboleverit. Et Egregia eſt C. *Seſtii* oratio, qvâ, qvũ videret,
deterrimum qvemqve imagine Cæſaris abuti, in Senatu de ejus
abolitione agit, oſtendendo, Principes quidem inſtar Deorum
eſſe, ſed neqve à Diis niſi juſtas ſupplicum preces audiri. Quæri
propterea non immeritò ſolet, *an Aſyla in benè conſtituta Republ.
toleranda?* Affirmativam qvi ſtatuunt, divinam ex Sacris
conſtitutionem afferunt, & Iſraëlit cas refugii civitates. Ad-
dunt Honorii & Theodoſii Impp. co[nſti]tutiones, δ ubi maje-
ſtatis crimine rei pronunciantur, qui contra legem iſtam ali-
qvid tentant. Uſum prętereà Aſylorum à multis retrò ſeculis
inter

σ III. Reg. I. v. 50.
τ l. III. hiſt. Eccl. c. 3.
υ l. V.
φ cit. tr. c. 10
χ Dial. ult.
ψ hiſt. Eccl. l. V. c. 6.
ω tom. V. oper.
α in vitâ ej9
β Annal. III c. 60.
γ ibid. c. 36.
δ l. II. Cod. de his qui ad Eccl. conf.

inter omnes ferè gentes, hactenus roboratum. Qui negativam tenent, abuſum Aſylorum oſtendunt, de qvo plurimi jam olim conqveſti ſunt, id ſcilcet, quod miſericordia conſtituerat, licentiam in abuſum rapuiſſe. Iſraelitica Aſyla, ratione planè diverſa & neceſſitate qvadam aperta: Nobis jam leges eſſe, qvæ tam miſeris veniam, quàm ſontibus pœnas decernant. Pleriqve mediâ incedunt viâ, & non planè quidem tollenda, ſed accuratè tamen limitanda Aſyla ſtatuunt. Uti de Hebręis ſacræ literæ, & de qvibusdam populis aliis hiſtoria profana notat, quod non niſi inſontes miſeros & afflictos privilegio iſto gaudere ſint paſſi. De Servis *Bodinus* ε notat, quod *nec Caſaris ſtatua, nec Dianæ templum, quod Rex Servius Romæ ſervis Aſylum propoſuerat, nec Romuli ſtatua quam olim Senatus ad id quoque decreverat, nec Theſei ſepulcrum Athenis, nec apud Cyrenæos ſtatua Ptolemæi, nec Dianæ templum apud Epheſios abirâ Dominorum ſervos tueri potuerint. Lege quoqve Epheſiorum ſervum, qui ad Dianæ fanum ſine cauſa confugiſſet, Domino reſtitutum, accepto prius jurejurando, ne fuga ſervo fraudi eſſet: ſin juſtam perfugii cauſſam haberet, Domino ereptum Dianæ serviviſſe, præter fœminas, quæ illius templi aditu arcebantur. Scimus hodieq;* inquit *Forſtnerus* ζ, *quibusdam in locis vetuſtatem Aſylorum magis tutam improbitatem præſtare, quàm juſtis ſolatiis explicare humanitatem. Ita ipſa Dei templa ſcelerum cuſtodiam agunt, ad audaciam novorum facinorum, & infamiam religionis. Statuebantur primitus Aſyla, & in illis ſecuritas erat iis, qui non tàm ſcelere noxii, quàm humanâ imbecillitate lapſi, veniam & miſerationem quàm pœnam merebantur. Nunc flagitia hominum, ut Optimi Maximi Dei ceremoniæ proteguntur. Modus igitur præſcribendus, & hominum, non ita ſcelerum, ſecuritati providendum* eſt. Atqve id Concilium Aurelianenſe, Ilerdenſem Synodum & Toletanam, Concilium Moguntinum, Synodum Claromontanam probè caviſſe *Hoſpinianus* η oſtendit. Refert etiā ex Aventino θ, Carolum M. conſtituiſſe, *ut fures, homicidæ, & hujusmodi crimina committentes, ſi ad Aſylum templumve fugâ elapſi forent repeterentur*

ε *l. I. Rep. c. 5.*

ζ *Not. Polit. ad Tacit. p. m. 293.*

η *l. c.*

θ *l. IV. Annal.*

1380.

rentur atque vi eriperentur. Et leges expreſsè prohibent, ne liberi, nec ſervi ad ſtatuas imaginesqve Principum in alterius injuriam confugiant. ι Hinc qvoqve factum eſt, qvum, *Contzeno* κ etiam notante, in illis urbibus cædes plurimæ fiant, ubi Aſyla conſtituta ſunt, ut privilegium juris aſyli Eccleſiis datum in plerisqve Germaniæ & Galliæ aliisqve locis ſublatum ſit. Servatur tamen id adhuc in plurimis Pontificiæ tyrannidi ſubjectis regionibus, ſic, ut per ipſorum conſtitutiones ſcelerati & graviſſima ſcelera patrantes, immunitate Eccleſiarum tuti ſint, qvæ omnia hic afferre nec animus eſt, nec fortè licet, quòd ad altiorem cathedram pertinere videantur, receptui propterea jam canimus, agimusqve.

ι *l. capitalium §. ad ſtatuas ff. de pœn. l. un. C. de his qui ad ſtat. conf.*

κ *l. V. Polit. c. 7.*

DEO GRATIAS.

COROLLARIA.

I. Majeſtas Principis non conventionem hominum, ſed Deum auctorem habet.

II. Atque hinc vis civium in Regem ſemper eſt injuſta.

III. Imperium qvoq; circa ſacra majeſtati competit.

IV. Eccleſiæ tamen legislativa poteſtas deneganda planè non eſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE